

La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 73

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Karolus gratia Dei rex. Si petitionibus servorum Dei pro quibuslibet ecclesiasticis necessitatibus aures nostras pulsantium libenter annuimus et ad divinae potentiae in locis Deo dicatis uberius famulandum auxilium porrigimus, id nobis procul dubio et ad mortalem vitam temporaliter deducendam et ad futuram feliciter obtinendam commodum provenire confidimus. Itaque notum sit omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus et nostris, praesentibus scilicet futurisque, quoniam canonici ex coenobio inclyti confessoris Christi beati Martini, ubi ejusdem reverendosum corpus veneranter humatum excolitur, una cum consensu venerabilis abbatis nostri Hucberti rectorisque jam dicti loci, nostram suppliciter adierunt sublimitatem, poscentes ut in elemosina nostra quendam fisci nostri mansum, quem Bernardus, qui ob immanitatem sui sceleris latrocinando in nostram irruit offensam, quondam visus fuit possidere, cum omni ejus integritate, peculiari patrono nostro, gloriosissimo confessori Christi beato Martino atque ejusdem fratribus sedulo inibi Domino famulantibus regia dignitate largiri dignaremur. Ipse siquidem mansus in pago Turonico, in vicaria Segunciacinse, in loco qui dicitur Ad illa Landa, juxta villam eorum Tauriacum, noscitur fore situs. Quorum petitionibus, quoniam omnifarie rationabiles esse inspeximus, libentissime aurem benignitatis nostrae inclinantes, ob aeternae remunerationis amorem ac dilectae nobis conjugis prolisque nobilissimae incolumitatem, hoc nostrae auctoritatis praeceptum fieri darique eis jussimus, per quod praescriptum mansum cum omni integritate, ceu olim, ut diximus, Bernardus latrocinator ipsum visus est possidere, scilicet cum terris, vineis, silvis, pratis, domibus, aedificiis et quicquid ad eundem mansum pertinet, et ipse, dum advixit, jure proprietario possedit, cumque suis omnibus appenditiis, praelibato inclyto confessori Christi beato Martino atque suis clericis, ad eorum peculiare augmentandum sancimus mancipandum integerrimeque deservendum cedimus. Si quis autem sua cupiditate aut alicujus maligna suggestione hujus nostri praecepti temerarius violator esse temptaverit, socio fisco ac regali lege, auri libris triginta multetur, deinceps vero hoc opus nostrum praesens, favente Domino, inviolabiliter perseveret intactum. Ut autem haec nostrae largitionis regalis institutio firmior habeatur atque nostris futurisque temporibus ab omnibus diligentius conservetur, anuli nostri impressione subter eam insigniri more regio jussimus.

Gauzlenus regiae dignitatis cancellarius ad vicem Hludowici relegi et subscripsi.

Data VI idus mai., indictione X, anno XXII regnante Karolo gloriosissimo rege. Actum Curte Bosonis villa super amnem Ligeritum. In Dei nomine feliciter. Amen.